
MISCELLANEE
B. BIBLIOTECA
NAZ. CENTRALE
DI FIRENZE
1034
2

10

Eloquentiæ Hiſtoriæque
Civilis
CULTORIBUS
Salutem præfatur,
Eosque
Ad
Recitationes ſuas publicas privatasque
peramanter & officioſe
invitat
JO. BURCHARDUS MAJUS.
Eloqu. & Hiſt. Prof. P.






QUod felix faustumque sit, ac mihi Vobisque, CIVES ACADEMICI, benè feliciterque evenire jubeat DEUS, post exactas nundinales ferias, unà cum cæteris Professoribus, ego quoque operas meas publicas privatasque auspicari mecum constitui. Ut enim rerum omnium, ita hujus inprimis, quod PRINCEPS animó, pietate ac virtute maximus demandavit mihi, gravis arduique muneris primordia à DEO capienda sunt, isque à me rogandus ante omnia, ut & felix auspicium præbeat, & animi corporisque vires largiatur suffecturas laboribus, quos utilitatis vestræ causâ vel jam suscipio, vel deinceps etiam suscepturus sum. Cùm vero duæ Professionis meæ sint partes, quarum alteram *Eloquentia*, alteram *Historia* sibi vindicat; publico hoc scripto indicandum VOBIS duxi, quo modo ac ordine utramque traditurus sim, ut constet omnibus, quid vel nunc, vel in reliquum de Prælectionum mearum ope-

operis sibi polliceri debeant ii, quibus easdem frequentare visum placitumque fuerit. Ac in *Eloquentia* quidem id operam dabo sedulò, ut præter rerum verborumque copiam, masculam illam nitidamque veterum dicendi scribendique majestatem meis Auditoribus tradam, monstratis semper fontibus, unde illa potissimùm haurienda sit. Quo nomine interpretandos sumemus Scriptores optimos ac præstantissimos, qui in arte hac excellunt, quique cùm verbis tum formulis purissimis selectissimisque utuntur, quos inter primas tenent, *Cicero*, *Livius*, *Trogus*, *Nepos*, *Cæsar*, *Curtius*, *Svetonius*, *Sallustius*, *Plinius junior*, *Vellejus*, *Tacitus*, *Florus*: quorum omnium egregia ingenii monumenta ut nulla vetustas obruet, nulla delebit oblivio; ita ad effingendi styli imitationem Eloquentiæ Civilis Cultores ea sibi quàm familiarissima reddere, & in succum quasi sanguinemque convertere debent, si quidem de quolibet argumento ad rempubl. pertinente purè, ornatè copioseque disserendi facultatem comparare sibi velint. Neque enim illam sine diligenti imitatione veterum, & crebrâ styli exercitatione unquam quisquam, ac ne ipse quidem Eloquentiæ princeps, Tullius, in lingua Latinâ, sibi alioqui vernacula, consecutus est, ut qui non modo nullam artem sine aliqua exercitatione

per-

percipi posse, in quadam ad Trebatium epistolâ, diserte pronunciet; sed Græcos etiam Oratores Historicosque studiosissimè legerit, lectos in Latinum converterit, eosque imitando, passim in scriptis suis jucunditatem Isocratis, suavitatem Xenophontis, copiam Platonis, & vim atque gravitatem Demosthenis summo artificio expresserit; qui & ipse, cùm initio adeò balbus esset, ut hujus suæ, cui studeret, Rhetoricæ artis non posset primam proferre literam, tantùm tamen postea profecit exercitatione assiduâ, ut eô nemo loqueretur planius, nemo diceret gravius. Quoniam verò multum intereſt nôsse, quâ ætate quilibet Auctor floruerit, ac sequioris ævi scriptores ad primam optimamque semper ætatem, tanquam normam regulamque Latini sermonis, exigendi sunt; ideò induxi animum breviter in antecessum publicè disserere de Linguæ Latinæ origine, incremento, inclinatione atque occasu, nec non viris eruditionis laude famaque eximiis, qui ad eandem à barbarie repurgandam pristinoque nitori restituendam, nostra patrumque memoriâ operam studiumque contulerunt. Quo finito opere deliberabimus, quem ex jam laudatis Auctoribus eligamus nobis ducem Eloquentiæ, qui nemini displiceat, sed universis satisfaciat. In *Historiâ* tradendâ primò recensebo Auctores, unde series ejus

di-

discenda; deinde ostendam, quæ res ad illius lectionem conducant; quomodo nempe cum fructu legendæ, quemque in vitâ civili usum habeant historiæ: tum omnium ætatum, omnium gentium nationumque res pace belloque gestas, consilia item eventusque exponam: posthæc rerumpublicarum conversiones, incrementa, inclinationes, illustrium familiarum fata ac vices, migrationes gentium, populorumque instituta & leges commemorabo: denique controversias illustres attingam, simulque antiquitates ac monumenta rerum memorabilium addam, faciamque, ut cùm exterorum regnorum, tum nostri inprimis Imperii statum accuratè intelligatis, & unà historiæ prudentiæque civilis usum plene cognoscatis. Cùm enim & patriæ & ævi sui res scire omnium cordatorum fideliumque civium, ignorare verò puerorum sit; nos præcipuè domesticam, & hujus, quod ad finem jam decurrit, seculi historiam paullò diligentius tractabimus, ne, quod multis accidit, idem & nobis eveniat, ut scilicet in antiquis oculati, in nostris cœci, peregrè domestici, domi peregrini simus. Neque etiam fallendi duntaxat temporis, vel curiositatis pascendæ causa, legemus historias, similes iis, qui putamina tantùm sectantes nucleum negligunt, hærentque in illarum dulcedine, ignari utilitatis. Insuper

in

in *notitia* Orbis Terrarum *Geographica*, in *studio Genealogico*, in *arte Heraldica*, ac *re numaria* operam nostram requirentibus non deerimus, sed manu quasi illos ducemus ad interiores scientiarum harum recessus, omnisque antiquitatis & elegantiæ veteris thesauros recludemus atque delitias. Et quoniam *Notitia librorum* pars est historiæ, hodieque in tantâ illorum copiâ & varietate summè necessaria; in hac quoque eruditionis parte debitum pollicemur studium, pro captuque nostro fideliter monstrabimus, quid in quolibet Auctore vel laudem vel censuram mereatur, & quænam editiones aliis præferendæ sint. Quâ occasione disserendum nobis erit de omnis ævi Scriptoribus, veteribus, mediis, recentioribus, genuinis, dubiis, supposititiis, homonymis, pseudonymis, anonymis, editis, ineditis, deperditis, prohibitis, dicendùmque, quinam illorum uniuscujusque studiis maximè accommodati sint. Atque id omne faciam more exemploque celeberrimi MORHOFII, cui in munere Eloquentiam Historiamq; docendi summæ clementiæ PRINCEPS AC DOMINUS, DOMINUS CHRISTIANUS ALBERTUS, DUX SLESWICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ & DITHMARSIÆ, Illustris Academiæ hujus Conditor ac Conservator benignissimus, succedere

dere me voluit. Etsi enim, quod fateor ingenuè, tantum in me ingenii doctrinæque non sit, ut aliqua saltem parte æquari conferrique possim cum virô incomparabili, & multo rerum usu exercitatissimo: tamen pro mea virili ejus insistam vestigiis, & quicquid ab aliis audiendo vel legendo didici, quicquid servo inter arcana, quicquid etiam multis magnisque laboribus atque impensis mihi constitit, Vobiscum tam liberaliter, quàm fideliter communicabo, ut intelligatis, me honori pariter commodisque vestris verè & ex animo velle consulere. Ut enim publica hæc mea est professio: ita in commune etiam prodesse cupio omnibus, verum litterarum meliorum fructum quærentibus. Vestrum erit, AUDITORES COMMILITONESQUE OPTIMI, mihi, hora locoque ex hac tabulâ propediem significando, recitaturo inposterum frequenter adesse, meumque Vobis inserviendi studium studio vestro excitare, excitatumque affectu singulari alere atque fovere. Ita valete, & ad veram solidamque gloriam mecum contendite. DEUS vos servet, decusque addat, & omne, quod Vobis salutique vestræ profuturum est, benignissimè impertiatur! P.P. Kiliæ Dominica V. post Epiphan. Anno cIↄ Iↄc XCIII.



